

agendi, naturalem vel obedientialem; sed quod non est nullam talem habet virtutem, quia omnis virtus super entitate fundatur: ergo in illo instanti terminativo extrinseco non potest sacramentum habere virtutem, sicut nec entitatem, quia tunc est verum dicere: Nunc non est sacramentum, et consequenter nunc non habet entitatem.

CXCVIII. Confirmatur, quia impossibile est rem existentem physice pendere a re quæ physice et realiter non existit, dependentia enim realis est innitentia unius rei super existentia alterius, sed omne quod fit realiter, pendet physice ab eo, a quo effective fit: ergo gratia in illo instanti in quo fit, dependere debet a sacramento existente. In instanti autem extrinseco terminativo non existit sacramentum: ergo ab eo physice non dependet.

CXCIX. Respondetur hæc argumenta a D. Thoma proponi, et solvi in quarto sententiarum citato. Et ex ejus doctrina dicimus, quod id quod nullo modo est, nec simpliciter, nec secundum quid, non habet virtutem ad agendum, quod tamen aliquo modo est, saltem secundum quid et in virtute aliorum, seu ut terminus præcedentis motus, operari potest, et sic se habet terminus motus, seu actionis sacramentalis, in quo licet non sit jam sacramentum sub ratione motus et actionis successive, est tamen sub ratione termini, quod entitative a motu non distinguitur, et ideo ut terminus assumitur pro instrumento.

CC. Et hoc est quod dicunt Thomistæ, sufficere quod sacramentum immediate ante fuerit, ut in hoc instanti dicatur operari, et quod in isto instanti non est in ratione entis formaliter, est tamen in ratione causæ, et in ratione entis virtualiter, quia videlicet ad producendum aliquid per motum et fieri successi-

vum, non requiritur quod ipsum fieri sit etiam in instanti, in quo est terminus factus, sed quod perveniat usque ad illud, et quasi continue illi hæreat.

CCI. Ut autem assumatur tamquam instrumentum, non requiritur quod ipse motus duret in ratione motus, et sub formalitate successivi, sed quod sit in termino, et sub ratione termini, cum ordine ad præcedentes partes motus accipiat a Deo ut instrumentum, et sic dicitur totum sacramentum, et partes ejus assumi ut instrumentum, quatenus ipse terminus assumitur, ut habet virtutem præcedentis successionis motus, non tamen assumitur sacramentum secundum quod formaliter est in successione, ut clare dicit S. Thomas.

CCII. Ad confirmationem respondetur, quod res non potest physice pendere ab eo quod non est, neque simpliciter, neque secundum quid; ab eo tamen quod est saltem secundum quid, et secundum contiguitatem successivam bene potest pendere: sicut quod est in facto esse pendet ab eo quod est fieri physice, non quia simul existunt, sed quia physice successive se tangunt, licet non physice permanenter; sic potest aliquid physice pendere ab eo, quod non est physice permanenter et simul, bene tamen physice successive, et secundum contactum successivum.

CCIII. Unde (ut acute notat Cajetanus quæstione LXXVIII supra citata) existentia successivi non requirit quidquid est ejus esse simul, sed ex quocumque ejus existente inferri, quia videlicet ejus existentia in transire, et in inferri consistit, non in permanere. Et sicut assignato quocumque mutato esse in medio motus, illud physice pendet a parte motus immediate ante transeunte, quæ in illo instanti et mutato esse jam non est; ita et in ultimo

extrinseco mutato esse, non est inconveniens quod pendeat ab immediata parte motus, quæ jam non est in illo ultimo extrinseco, sed immediate transivit. In sacramentis vero non repugnat quod sacramentum non secundum quod est in successione, sed secundum quod est in termino, sub formalitate termini assumatur ut instrumentum supernaturalis, quia ibi existit secundum quid, et ut in termino, licet non simpliciter, et sub formalitate successionis.

CCIV. Secundo arguitur: Res futura nullo modo potest agere effective: ergo neque res præterita, quia tam nihil est res præterita, quam futura, si quidem illa desiit esse, sicut ista nondum est: ergo neque potest agere effective, eo ipso, quo verum est dicere, quod non est.

CCV. Confirmatur, quia si res quæ nunc desinit, et non est, potest agere, quia immediate ante fuit: ergo et causa quæ fuit heri, potest modo supernaturaliter elevari ut effective agat, quod est omnino impossibile.

CCVI. Confirmatur secundo, nam inter effectum et causam realem oportet esse relationem realem: ergo oportet utrumque extremum esse in actu, et non sufficit immediate ante fuisse, et jam non esse.

CCVII. Respondetur, quod id quod futurum est, ita est nihil respectu rei præsentis, quod neque in ratione causæ, neque in ratione entis, neque formaliter, neque virtualiter illam tangit; et ita non potest influxum et causalitatem habere in illam, futurum enim neque est in ratione entis, sicut præteritum; neque in ratione causæ, quia causa est a qua procedit effectus, a futuro autem nihil procedit, aut processit, sed ipsum debet procedere, et si non est in virtute a se procedente, sed in virtute a qua debet procedere: res

autem præterita, etsi jam non sit simpliciter in genere entis, est tamen in ratione causæ et virtutis successive contingentis rem præsentem, et ita habentis prioritatem respectu illius, ut possit illam producere tamquam fieri ejus, quod contingit rem factam: eo ipso autem quo est in facto esse, desinit fieri sub ratione ipsius fieri; quod totum non currit in re futura, quæ nec est fieri, nec aliquo modo prior respectu rei præsentis, ut possit causalitatem in ipsam habere.

CCVIII. Similiter res futura nondum existit secundum quid et in termino, sicut res quæ immediate præcessit, et ideo non potest assumi a Deo ut instrumentum, sicut potest assumi id quod præterit secundum rationem successionis, et manet secundum rationem termini.

CCIX. Ad primam confirmationem respondetur, quod res quæ heri præterit, non habet contiguitatem cum re quæ modo producit, et ideo neque contractum durationis habet, et propterea neque operari potest effective in illam; res autem quæ immediate jungitur cum ista, habet contractum durationis successivæ, et ita potest agere in illam.

CCX. Secundo dicitur, quod res quæ præterit heri, si virtutem aut effectum suum reliquit, potest hodie assumi a Deo ut instrumentum, non in se, sed in sua virtute et effectu, sicut dicit S. Thomas quæstione, quinquagesima hujus tertiæ partis, de morte Christi; et quæstione LV de resurrectione, quod operantur nostram salutem, et operabuntur nostram resurrectionem, quia videlicet operantur per humanitatem mortuam aliquando et resuscitatam modo: sic ergo et sacramentum dicitur operari physice, non quia omnes ejus partes sint simul, aut secundum successionem suam assumantur a Deo,

sed secundum quod sunt in termino talis successione virtualiter et secundum rationem termini, quod est esse secundum quid, ut dicit S. Thomas.

CCXI. Ad secundam confirmationem dicitur, quod inter causam et effectum non oportet semper intercedere relationem realem formaliter, sed sufficit quod fundamentaliter, sicut est inter filium et patrem mortuum; inter gravem et generans ejus, quando movetur deorsum; inter Deum et creaturam, etc.

CCXII. Tertio arguitur: Si sacramenta tum operatur in instanti extrinsece terminativo, sequitur quod possit sacramentum habere suum effectum in anima separata, in instanti separationis, consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur, quoniam contingere potest quod taliter ministretur sacramentum homini morienti, ut idem sit instans extrinsecum sacramenti et separationis animæ: tunc ergo causabit sacramentum gratiam (si quidem susceptum fuit ab homine) et non causabit nisi in anima separata: ergo. Falsitas consequentis manifesta est, quia tunc homo, qui in tota vita sua est in peccato mortali, posset in instanti quo jam non vivit, gratiam accipere, et salvari; quod omnino est impossibile.

CCXIII. Confirmatur: Peccatum potest incipere in tempore saltem indeterminato: ergo et gratia. Antecedens probatur: Si quis habeat præceptum diligendi Deum ante mortem, fractio istius præcepti non est in instanti mortis, quia tunc jam non potest amittere gratiam, quam usque ad illud instans habuit: neque ante aliquod instans mortis, quia inter quælibet duo instantia est tempus medium: ergo adhuc potest implere præceptum diligendi Deum in illo parvo tempore: ergo nondum fregit illud præceptum affirmati-

vum, nec peccavit: si ergo peccat, in tempore illo indeterminato peccat, et non in instanti aliquo.

CCXIV. Respondetur negando sequelam. Ad probationem respondetur, quod admissio illo casu, anima illa separata non recipiet gratiam per sacramentum, quia illud instans extrinsecum pertinet etiam ad sacramentum, ut terminus ejus, et complementum significationis, sine quo operari non potest. Unde cum illud complementum sacramentale non attingat hominem vivum et viatorem, non habet in illo effectum. Neque refert quod totum motum et actionem sacramentalem susceperit, quia non suscipit illum complete, et cum suo termino, sed incomplete et inadæquate sacramentaliter, licet integre quasi naturaliter et physice in ratione successivi.

CCXV. Ad confirmationem respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod fractio illius præcepti contingit ante instans mortis, eo ipso quo homo sentit se appropinquare morti, et non curat elicere actum contritionis; taliter quod moraliter impossibilitatur ad diligendum Deum; sicut alia præcepta affirmativa in eo instanti quo primum homo moraliter impossibilitatur ad implendum illud, frangitur, et non ante, unde nec in tempore indeterminato.

CCXVI. Et eodem modo loquendum est de martyrio, quod causat gratiam in homine, non in instanti separationis, sed in eo instanti, quo inevitabilem dispositionem ad mortem homo habet ex vi martyrii; tunc enim martyrium habet completam rationem actus fortitudinis ex parte martyris, et ita inducit omne quod naturaliter requiritur ad mortem; nec est necesse ipsam actualem mortem expectare, nec quod immediate ante tale instans mortis detur; si enim tunc dari

potest, cur non in instanti aliquo ante, in quo est jam inevitabilis et necessaria dispositio ad mortem secundum viam naturalem, ut sic salvetur quod viatori detur gratia per martyrium, et in instanti, secundum modum incipiendi gratiæ.

CCXVII. Quarto arguitur: Tam consummata forma quam materia sacramenti (verbi gratia baptismi) potest incipere per ultimum non esse, ergo et gratia potest per ultimum non esse effici ab ipso sacramento. Patet consequentia, quia eo ipso quod existit sacramentum consummatum, existit ejus operatio, atque adeo gratia, et ita incipiente sacramento consummato, incipit et gratia. Antecedens autem probatur, nam forma sacramenti quoad ultimam particulam incipit per ultimum non esse, sicut incipit omnis motus, ut quando in forma baptismi, quæ finitur Spiritus sancti, ly et i, quæ est ultima particula, incipit per ultimum non esse; ea autem incipiente, jam consummatur sacramentum, seu incipit consummatio ejus et significationis totalis propositionis, atque ideo et operatio sacramenti.

CCXVIII. Similiter et materia potest consummari per ultimum non esse, ut si ablutio sit talis, quæ propter sui parvitatem non sufficiat ad essentiam sacramenti; quæ autem immediate post major est, sufficiat, et ita terminetur quoad minimum extrinsece, et consequenter sit verum dicere: Nunc non est sufficiens materia sacramenti, immediate post erit sufficiens, et consequenter immediate post incipiet sacramentum.

CCXIX. Confirmatur: Necesse est assignare aliquod instans in quo sit verum dicere: Nunc est sacramentum, quia inconveniens est, quod res aliqua realiter fiat, et in nullo instanti sit verum dicere de

illa: Nunc est; sed hoc non potest de illo dici in instanti terminativo extrinseco, quia tunc est verum dicere: Nunc non est; ergo in aliquo intrinseco, et ita in illo operabitur sacramentum.

CCXX. Confirmatur secundo, quia in omni motu successivo quando pervenitur ad terminum, aliqua datur instantanea mutatio, qua consummatur terminus illius motus; et talis mutatio instantanea est intrinseca ipsi motui, non quatenus ens successivum est, sed quatenus est primum esse termini consummati et perfecti, et ideo dicitur ultimum mutatum esse motus; ergo in illo instanti intrinseco sacramentum causabit gratiam, si quidem illud instans pertinet ad consummationem intrinsecam sacramenti, ut est in suo termino. Antecedens autem probatur, quia per mutationem acquiritur in aliquo instanti aliquis terminus indivisibilis, qui toto tempore ante non acquirebatur, nec erat acquisitus; ut in intentione acquiritur terminus caloris ut duo vel tria: ergo necesse est dare talem instantaneam mutationem, quæ licet sit primum non esse motus, quantum ad rationem successivi, est tamen intrinseca quantum ad rationem termini, et contactus ipsius actionis; et ita in hac gratia causabitur.

CCXXI. Respondetur ad principale argumentum negando antecedens. Ad probationem dicitur, formam sacramenti quantum ad certum ac determinatum sensum significationis, non perfici illo modo, nec intelligi quod sit determinatus, et certus per illud ultimum non esse inceptions; sed tunc incipit sensus propositionis consummari, non autem consummatus est, et ita nec sacramentum operatur, quia donec consummata est significatio, non operatur. Similiter non datur ablu-

tio minima extrinsece (sacramentaliter loquendo) quia sacramentum non habet pro materia quantumcumque ablutionem, sed determinatam et certam, et quæ sufficiat, moraliter loquendo, abluere; et sic non debet extrinsece et indeterminate talis ablutio incipere, sed determinate et intrinsece; alias sacramentaliter non incipit.

CCXXII. Ad confirmationem primam respondetur verum esse dicere de sacramento, quod est toto tempore prolationis ad modum rei successivæ, in qua idem est esse quod fieri, seu transire; et ita dum transit sacramentum, dicitur esse; non tamen dicitur esse perfecte et simpliciter, sed successive, et dependenter a particulis succedentibus, quæ si non ponantur, neque sacramentum erit. Sicut oratio est dum successive profertur, cum dependentia tamen a distincto subsequente, ita ut si illa non ponatur, nec oratio erit simpliciter et perfecte, sed solum secundum suam inchoationem; in qua quidem inchoatione habet esse simpliciter successive et inchoative, non simpliciter perfecte. In instanti autem terminativo extrinseco est verum dicere, quod oratio et sacramentum est perfectum, et consequenter quod operatur; ante vero non est verum dicere, quod sacramentum est ea existentia quæ requiritur ad operandum, sed ea existentia qua inchoatur successive.

CCXXIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod in omni motu datur ultimum mutatum esse, non continuum cum motu, sed illi extrinsecum, et solum contiguum, quia desinit in illo motu, et non est; et ita non pertinet ad continuitatem motus. Illud tamen mutatum esse, seu terminus sic acquisitus, non differt a motu entitative, quia motus non est præter res ad

quas est motus, differt tamen realiter formaliter; et in ratione entis successivi motus totaliter perit, et est illi extrinsecum illud mutatum esse, sicut factum esse est extra fieri, licet entitas motus et termini sit eadem materialiter.

DUBIUM SEXTUM.

UTRUM SACRAMENTA VALIDE SUSCEPTA, SED INFRUCTUOSE, ET CUM OBICE AD GRATIAM, RECEDENTE OBICE ET FICTIONE HABEANT SUUM EFFECTUM?

Conclusio est affirmativa.

CCXXIV. Pro cuius intelligentia est notandum, quod obex in sacramenti potest esse vel respectu sacramenti, vel respectu effectus sacramentalis, qui est gratia: respectu sacramenti datur obex, quando ita fide suscipitur sacramentum, ut sit nullum et invalidum. Et tunc manifestum est, quod nunquam habet effectum, quia nunquam factum est sacramentum. Respectu effectus sacramentalis datur obex, quando sacramentum valide susceptum non habet effectum suum, propter affectum suscipientis ad peccatum mortale nondum exclusum ac detestatum. Et tunc quærimus, an quando postea recedit obex, sacramentum ante susceptum habeat effectum suum; ita quod subjecto detur gratia, non solum ratione illius dispositionis, qua tollit obicem, sed etiam ratione illius sacramenti quod antea suscipit.

CCXXV. Et quidem de baptismo fere certum est apud omnes, quod recedente fictione causet suum effectum. Est enim hæc expressa sententia D. Augustini libro primo de baptismo, cap. XII, et libro III,

capite primo, quæ fundatur in eo, quod baptismus est initerabilis; et peccatum originale remitti non potest per aliud sacramentum, quam per baptismum, unde oportet præcedentem baptismum operari gratiam recedente fictione. Quod et amplius manifestatur, quia si quis fide susciperet baptismum, et postea cum vera attritione confiteretur, et susciperet poenitentiam, iste talis sine dubio justificaretur, et tamen originale peccatum, quod adhuc retinet, per poenitentiam sacramentum non potest tolli: ergo tolletur per baptismum tunc operantem.

CCXXVI. De aliis vero sacramentis dubium est, an recedente impedimento habeant suos effectus. Et sententia D. Thomæ affirmat, quam expresse docuit IV, dist. XVII, quæst. III, art. IV, quæstiuncula prima, dicens: « Quod qui in confessione accedit fictus, recedente fictione consequetur fructum absolutionis, sicut et in aliis sacramentis; » licet verum sit quod in IV, dist. IV, quæst. III, art. III, quæstiuncula tertia ad tertium negaverit de eucharistia, quod recedente fictione causet gratiam, quia non imprimat characterem sicut baptismus. Videtur tamen hoc in distinctione illa XVII retractasse dum id omnibus sacramentis sine distinctione tribuit.

CCXXVII. Et ratio esse potest, quia generaliter loquendo, sacramenta semel valide suscepta cum obice subjecti, habent se ut causæ impeditæ ab effectu suo; omnia enim sacramenta habent eundem modum operandi, licet diversam necessitatem habeant; et ita eodem modo omnia operabuntur ex ratione sacramenti, et cogimur ad ponendum quod omnia sacramenta operentur physice recedente fictione, quia connaturale est causis physicis operari suum effectum, etiamsi im-

peditæ sint, remoto impedimento: si ergo omnia sacramenta sunt causæ physice, omnia operabuntur physice remota fictione.

CCXXVIII. Item est connaturale causæ physice habere aliquem contactum, saltem virtualem, et ex illo relinquere subjectum modificatum et determinatum a tali causa: sacramentalis autem susceptio habet contactum virtualem sacramentalem cum intellectu, ut dicit D. Thomas in IV, dist. IV, quæst. II: unde relinquit ibi modificatam determinationem intellectus, vel characterem, aut fidem: ergo debent sacramenta remoto impedimento habere suum effectum, quia applicatio meritorum Christi sacramentaliter facta, licet frustretur ex indispositione subjecti, tamen non est sublata per aliquam contrariam causam, sed manet quousque subjectum removeat indispositionem; omnis autem causa impedita solum, et non exclusa per contrariam causam, habet effectum suum recedente impedimento.

CCXXIX. Nec dici potest, non manere jam causam, scilicet sacramentum, nam sicut manet baptismus, et manet poenitentia in virtute, ratione scilicet illius determinationis, qua homo voluntarie voluit tale sacramentum suscipere; ita et alia remanebunt ratione talis susceptionis voluntariæ. Et sicut actus voluntatis semel elicitus virtualiter manet, et sufficienter influit in actus qui postea eliciuntur, licet jam non existat ille actus; sic et susceptio voluntaria sacramenti manet, non quomodocumque, sed modificata a sacramento suscepto; et ita postea recedente fictione, sacramentum mediante tali modificatione operatur. Probabiliter ergo, et pie id credi potest de omnibus sacramentis, etiam de eucharistia. Quod magis ex congruentia quadam